

citur: « In his, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus ex c. *Ad audientiam* 12, de homicidio, ubi sic præcise habetur: « Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, » ex cap. *Significasti* 18, eod. tit. ubi de Sacerdote dubio homicida sic expresse dicitur: « A sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, » ex cap. *Petitio tua* 24, eodem tit. ubi in dubio de homicidio commisso a Sacerdote in conflictu contra inimicos Fidei Catholicæ, sic præcise habetur: « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare. » (39. Hoc axioma sine dubio universaliter, et semper verum est quantum ad consilium, et perfectionem; semper enim consultius et perfectius est in quovis dubio eligere partem tutiorem; ac certe non semper necessarium, de præcepto, vel obligatione. (1) (40. Unde tenemur solum ex præcepto partem tutiorem eligere in dubiis sive juris, sive facti quoad valorem Sacramentorum, quia si sint opiniones oppositæ circa aliquid concernens valorem, quærenda est tutior, quia minus tuta, licet fortasse sit probabilior, et quis bona fide secundum illam operetur, facere tamen non potest, ut vel tale aliquid non sit de valore Sacramenti, vel Sacramentum sit validum si illud omittatur. Si enim v. g. dubium sit an infans fuerit Baptizatus, an sub legitima forma, materia, et intentione, debet iterum tamquam tutius sub conditione baptizari. (41. Similiter tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere, quando aliter immineret proximo periculum gravis damni. Sic Medici, Advocati, alique similes ad obtinendam proximo sanitatem, vel causæ victoriam, et hujusmodi tenentur adhibere media tutiora, licet occurrerent etiam alia probabiliora, vel plausibilia; mens enim illorum, qui ipsorum operam conducunt, est ut talem finem, quantum poterunt tutissime consequantur, ad quem finem sic obtinendum nihil faciet opinio probabilior, aut plausibilior, nisi sit tutior simul. Et idem est dicendum in aliis similibus materiis,

(1) In hoc Articulo Auctor noster Probabilistarum placitis plus justo adheret. Hinc n. 59, decernit Regulam illam juris, *In dubiis tutior pars est eligenda* pertinere tantum ad consilium et perfectionem, quibusdam tantummodo casibus exceptis. Etenim oppositum nempe ad præceptum et quidem naturale laud. Regulam pertinere luculentissime deducitur ex iisdem Sacris Canonibus, ubi eadem inculcatur. Lege cap. *Ad Audientiam* 12, et cap. *Significasti* 18, de Homicid. Hinc in cap. *Illud Dominus* 5, de Cleric. Excom. etc. gravi poena depositionis dignus reputatur quidam Episcopus qui in dubio, an esset excommunicatus sacris esset operatus: Neque porro quidquam officit, quod objicit Cl. noster Auctor ex cap. *Laudabilem*, 2, de Frigidis etc. quasi liceret auctoritate prædicti capituli minus tuta, et dubia in praxi sectari; ibi enim cum ageretur de dubio incidente in validitatem Matrimonii, ne consortes committerentur certo periculo violandi jus matrimoniale, eligitur minus malum, et permittitur sive toleratur ut potius violetur castitas, quam justitia, quæ gravior, ac strictius obligat. Atque ex eodem principio repetenda est decisio Innoc. III, in cap. *Inquisitioni* 44,

maxime in quibus non licet sequi opinionem probabilem relicta tutiori. (42. Similiter etiam esset obligatio sequendi tutiorem partem, si quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus esset per legem, aut per legitimum Superioris mandatum.

(43. In aliis autem materiis non tenemur eligere partem tutiorem, nisi lex aliqua præcipiat, ut pars tutior eligatur; quod maxime est verum, si ex parte tutiori grave aliquod incommodum sequeretur. Et ratio est, quia in aliis materiis non adest periculum quod adest in adductis antecedentibus materiis, et casibus, quale est periculum invaliditatis Sacramenti, aut damni gravissimi tum spiritualis, tum corporalis et temporalis proximi. (44. Et de facto in pluribus aliis materiis tum Pontifices, tum Sancti Patres, docuerunt, et tenuerunt aliqua minus tute tanquam licita, relicta parte tutiori. Cælestinus III, in cap. *Laudabilem* 5, de frigidis, et malef. dicit impotentes posse ad triennium experiri usum copulæ, ubi tamen in dubio de valore contracti matrimonii tutius est abstinere. (45. Plurimi Pontifices dispensarunt in voto solemnium castitatis contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui 2. 2. quæst. 88, art. 1, negat id licere; sic enim dispensavit Alexander III (2) cum Nicolao Justiniano Veneto Monacho Professo, ut, ne ejus illustris familia extingueretur, uxorem duceret, quod fecit, et novem filiis susceptis ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus; Innocentius II dispensavit cum Ramiro Monacho professo ob mortem Regis Aragoniæ sui Patris, et sic uxorem duxit, et Regnum; Cælestinus III dispensavit cum Constantia filia Regis Siciliæ Monialis professa in Monasterio S. Salvatoris Panormi, ut nuberet Henrico Sexto Imperatori; sic de ipsis, et aliis refert Delbene par. 2, de Inquisit. d. 236, sect. 63, pet. 12. (46. Quinimmo Juditha fuit Monialis Ratisbonensis, dein trium Regum Conjug, scilicet Bretislai Bohem., Mesiceni Polon. et Petri Hungar.; sic refert P. Justus Redn. tom. 2, tit. 8, sect. 4, n. 77, fol. 208. (47. S. Augustinus relatus in cap. *Quid culpa-*

de sent. ut Excommunic. Nec etiam quidquam officit auctoritas B. Augustini in cap. *Quid culpatur*, 4, Caus. 25. Qu. 1, ubi edocetur posse militem licite pugnare in dubio justitæ belli. Non enim id permittitur, quasi liceat in praxi operari cum conscientia dubia; sed quia non est expoliandus Princeps jure certo propter dubietates subditorum. Immo ex cap. laud. *Inquisitioni* apertissime comprobatur, contra ac sentiunt Probabilistæ; *in dubiis* nim. *tutiorem partem esse eligendam*. Conjug enim qui pro una parte probabiliter putabat matrimonium esse validum, et pro alia habebat conscientiam impedimenti dirimentis ex credulitate probabilis, debitum exigere non potest, cum hoc procul dubio sit tutius ne contra iudicium conscientiæ committat offensam. Vide Fagnanum Canonici juris consultissimum in cap. *Ne innitatis* 5, de Constit. n. 241, et Concinam lib. 2, de Matrim. dissert. 4, de Obligat. Conjug. c. 6, § 2. (Nota Edit. Neap.)

(2) De hoc et proximis exemplis vide Raymundum Capisuccum S. R. E. Cardinalem Controversia XI, quæ *devoto Solemni Quæst. unic. § 3, pag. 420, n. 79. Ad verba Nicæna Synodus. (Edit. Barbiell.)*

tur 4, caus. 23, quæst. 1, docet posse subditum licite militare in dubio Belli injusti, et fere omnes SS. PP. docent non esse obligationem statim confitendi peccatum mortale, per haustum non frangi jejunium, et alia hujusmodi, et tamen ista similia non sunt tutiora.

(48. Secundum axioma, scilicet *in dubiis melior est conditio possidentis*, desumitur præcipue ex Regula 56 Juris in 6, ubi sic præcise habetur: « In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. » Et ex ff. de reg. Juris Regul. 128, ubi sic præcise dicitur: « In pari causa possessor potior haberi debet. » (49. Immo ut recte tenet Cardenas in 1 Crisi d. 63, n. 1241, hoc axioma fundatur in jure naturæ, sic enim, etiam præcendendo a legibus humanis, foret contra jus naturæ possessorem spoliare sua re propter superveniens dubium. (50. Et verus sensus hujus axiomatis est, quod quando neutra pars sufficienter probatur, possessionis causa debeat sustineri; Lugo de justitia d. 17, n. 94. (51. Hoc axioma locum habet universaliter in Materia justitiæ quando videlicet dubium est, an res aliqua sit hujus, vel illius Domini, et unus de facto bona fide possidet talem rem, tunc melior, seu potior est conditio possidentis, ut nec ipse eam restituere teneatur, nec ei etiam in judicio auferri possit, ut sentiunt communiter Doctores. Et ratio est, quia sic declarant regulæ juris adductæ supra n. 48, tum quia possidens est veluti reus: alter autem qui est petitor, est actor; habetur autem Regul. 154, ff. regul. Juris; « Cum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa. » Item Regul. 11, Juris in 6, sic præcise habetur: « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori; adeoque, etc. (52. Item tale axioma nedum habet locum quoad possessionem in materia justitiæ, sed quoad possessionem in materiis aliarum virtutum, voti, legis, etc., maxime si materiæ illæ in primo sui esse pendeant a libertate nostra. *Est jam communior et fere recepta sententia*, quamvis multi tulerint valere tale axioma solum in materia justitiæ. Et ratio nostræ conclusionis est, quia ideo præcipue etiam per adversarios valet in materia justitiæ, quia possessor habet aliquam præeminentiam, sive plus juris, ut non privetur re, nisi probetur non esse suam, sed idem est in aliis materiis, quia possessor in quacumque materia per possessionem acquisivit Jus retinendi id quod habet: ergo potest in hoc tute stare, donec probetur eum non posse licite in tali possessione perseverare.

(53. Hinc colliges primo, valere tale axioma indubitanter in materia obedientiæ; Subditus enim in dubio, an id, quod imperatur a superiore, sit peccatum, tenetur obedire, cum Superior sit in possessione potestatis ad imperandum: sic habetur clare in cap. *Quid culpatur* 4, caus. 23, q. 1, ubi S. Augustinus dicit, quod jubente Rege etiam sacrilego possit subditus recte, et licite militare, quamvis dubitet bellum esse injustum; et tenent communiter Doctores. (54. Colliges se-

cundo, valere tale axioma in materia Religionis, quia dubius v. g. de voto emisso, non teneretur ad votum, quia libertas, quæ secundum Reg. 122, ff. de Regul. Juris, omnibus rebus est favorabilior, in possessione est. (55. Colliges tertio, valere axioma in materia fidelitatis, quia Conjug dubius v. g. an matrimonium sit validum, tenetur reddere debitum, quia alter conjug bona fide petens debitum, est in possessione, et desumitur ex c. *Inquisitioni* 44, de sent. excomm. ubi Innoc. III de conjug credente matrimonio esse invalidum, sic præcise ait: « Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabilis et discretæ, quamvis non evidenti, reddere potest, sed petere non potest debitum. (56. Colliges quarto, quod ex regula talis axiomatis, qui vere dubitat an lex, vel præceptum adsit, manet in possessione suæ libertatis contra legem, vel præceptum, quia per obligationem dubiam nemo spoliari potest jure, quod certo possidet; unde dubius, an pro tali die inductum præceptum festandi, non tenetur jejunare, nec festare, quia certa est libertas, et dubia obligatio. (57. Contra vero, qui est certus de lege lata, promulgata, et recepta, et dubitat solum de ejus cessatione, vel abrogatione, lex manet in possessione suæ obligationis contra hominem dubitantem, quia certa est obligatio, et dubia liberatio. Unde certus de lege lata, et recepta v. g. de non ludendo aleis, et hujusmodi, et dubius an talis lex denuo abrogata sit vel per non usum cessarit, etc., is tenetur ad observantiam legis, quia pro ipsa stat possessio contra dubitantem, cum legis obligatio sit certa, et legis liberatio per atrogationem, vel cessationem sit dubia.

(58. Colliges quinto ex tali axioma, quod in dubio facti fundantis legem, dubitans de facto manet in possessione suæ libertatis, quia certa est libertas, et dubia obligatio; unde qui vere dubitat, an in tali infirmitate, vel periculo fecerit tale votum, non tenetur ad votum, quia nulla est possessio pro voto, sed tota possessio stat pro libertate voluntatis, nam illud factum, vel aliud quid simile v. g. juramentum, et hujusmodi, fundat legem, quod factum, quia in dubio non præsumitur, non potest fundare obligationem contra certam libertatem hominis; et specialiter obligatio voti, juramenti, promissionis, adstruenda non est, nisi liquido cognoscatur; arg. L. *Quidquid* de verb. obligat. (59. Contra vero, in dubio facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis contra dubitantem; quia certa est obligatio, et dubia liberatio, seu adimpletio legis. Unde qui dubitat, an horas persolverit, tenetur persolvere; qui dubitat, an votum suum, vel juramentum impleverit, tenetur adhuc implere, quia cum ista sint aliquid facti, in dubio non præsumuntur, et tota possessio, et præsumptio stat pro legis obligatione. (60. Colliges sexto ex tali axioma, quod in dubio circa tempus inchoandæ obligationis, dubitans manet in possessione suæ libertatis, quia certa est libertas, dubia obligatio; unde juvenis, qui invincibiliter dubitat, an expleverit annum



vigesimum primum, a quo incipit obligari jejunio, non tenetur jejunio, quia est certa possessio suæ libertatis usque ad expletionem illius anni, expletio autem est incerta. (61. E contra vero, in dubio circa tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione obligationis contra dubitantem; quia obligatio est certa, et dubia liberatio; unde senex dubitans invincibiliter, an expleverit annum sexagesimum, manet adstrictus lege jejunii, cujus obligatio est certa, dubia autem liberatio. Sic dubitans an expleverit annum vigesimum quartum requisitum pro Sacerdotio, debet abstinere, donec de tali ætate constet, quia possessio certa stat pro lege Canonica certo prohibente ante expletum vigesimum quartum annum ordinari ad Sacerdotium sine dispensatione Apostolica, expletio autem incerta, et dubia facta non præsumitur.

(62. Colliges septimo ex tali axiomate, quod qui certus est de debito, et dubitat an solverit, teneturolvere; quia certa est obligatio, et dubia liberatio. (63. Unde possessio stat pro creditore contra debitorem; nisi etiam creditor ipse dubitet, quia tunc Tan. in 1. 2. d. 2. quæst. 6. d. 4. censet non teneri. (64. Quoad hoc tamen placet limitatio Laymani in Theol. Moral. lib. 1. tr. 1. cap. 6. num. 42, quod scilicet non teneatur in tali casu ad integram solutionem, sed solum ad partem ejus pro qualitate dubii. (65. Colliges octavo ex tali axiomate, quod dubius de legis justitia, obedire tenetur, quia superior est in possessione juris præcipiendi, quo spoliari non potest per purum dubium subditi. (66. Colliges nono ex dicto axiomate, quod qui certus est se vovisse Ecclesiæ v. g. sex mensuras tritici, vel vini, et dubius est de qua mensura intellexerit, ex quo in communi usu suæ patriæ duplex mensura existat major, et minor, tunc sive ipse vovens, sive suus hæres teneturolvere solum ad mensuram minorem, ut expresse habetur in cap. *Ex parte*, 18, de censibus, ibi: « Cum ergo non constet ad quam mensuram antecessores eorum prædicta vota persolverint, credimus distinguendum; utrum habitatores regionis ipsius, qui ea continue persolverunt, ad unam et eandem mensuram hujusmodi vota persolverint? an ad varias, et diversas. In primo enim casu, ad eandem et illiolvere sunt cogendi. In secundo volentesolvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris Ecclesiasticis exigenda, ne tamquam exactores videantur lucris temporalibus inhære. » Idem dicendum est in simili de scutis, vel Ducatis majoribus, et minoribus, ex voto, vel legato debitis, ut decernitur leg. Nummis, ff. de Legato. Et ratio est, quia de minoribus solum mensuris, vel nummis est certitudo, de majoribus autem est dubium, adeoque pro illis tantum, non pro his stat possessio, et præ-

(1) Id est inter Probabilistas. Non enim, Auctorem eruditissimum ignorasse arbitror, innumeros pene scriptores doctrina, pietate, ac dignitate perspicuos

sumptio, juxta enim Regulam 31. Juris in 6. *In obscuris minimum est sequendum.* (67. Et de primo ad ultimum quoad dubia, et obscura habetur regula expressa de mente S. Leonis Papæ in cap. Sicut quædam 2, dist. 14, præcisis his verbis: « In his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniat adversum. »

(68. Conscientia probabilis, seu opinativa est « judicium practicum intellectus ex gravi ratione, vel auctoritate ad hærentis uni parti contradictionis determinate, sed cum formidine de opposito, » est in re communis. (69. Conscientia probabilis differt a conscientia recta, seu certa, ex quo hæc relinquat intellectum certum de una parte contradictionis, non autem conscientia probabilis, quæ ipsum relinquit cum formidine de opposito. (70. Differt etiam a Conscientia dubia, ex quo illa neutri parti determinate adhæret, sed manet anceps, ac suspensa inter utramque contradictionis partem; Conscientia vero probabilis determinate adhæret, et assentit uni parti ex fundamento probabilis, licet cum formidine de opposito. Per hanc autem formidinem de opposito, licet tollatur firmitas assensus, non tollitur tamen ejus determinatio: adhuc enim intellectus determinate assentit, et adhæret uni parti, et quidem ex gravi fundamento, licet non adeo firmiter, ut sit in conscientia. (71. Conscientia probabilis dividitur in probabilem probabilitate intrinseca, et in probabilem probabilitate extrinseca. Conscientia probabilis probabilitate intrinseca est illa, cujus probabilitas habetur ex ratione, id est ex principiis intrinsecis talis propositionis, qualia sunt cause, vel effectus ipsius, aut definitio, vel circumstantiæ, aut quid simile. Conscientia probabilis, probabilitate extrinseca est illa, quæ habetur ab auctoritate, id est a gravitate, et prudentia Doctorum eam tenentium. (72. Item Conscientia probabilis autem est vere probabilis, quæ scilicet gravi nititur fundamento, et alia est tenuiter solum probabilis, in quantum levi solum nititur fundamento, unde ista improprie dicitur probabilis, et non vere; quia cum sit levi solum suffulta fundamento, non est sufficiens ad formandum judicium prudens, quod secundum eam liceat hic, et nunc operari; et talis est opinio, quam unus, vel alter docet, et non habet rationem intrinsecam, vel si habet, non est firma, sed levis, leve enim censerit debet fundamentum, et auctoritas unius, vel alterius, quando communis aliorum consensus est in contrarium.

(73. Hinc resolves primo: Potest homo in rebus moralibus, et actionibus humanis licite sese conformare conscientiæ, seu opinioni vere probabilis. *Est communis* (1). Et ratio est, quia operans juxta regulam rectam

adversus Probabilismum dimicasse: ipsos Pontifices Maximos, se probabilismum aversari, non semel ostendisse: Ecclesiæ Prælatos cum in Synodis, tum

rationis, ut facit operans ex Conscientia vere probabilis, operatur licite, cum enim in moralibus nequeat semper haberi omnimoda certitudo per rei evidentiam, debet sufficere certitudo practica ex probabilibus desumpta, aliter vix unquam posset aliquid recte, et licite operari propter incertitudinem rerum practicarum, et sic vix unquam haberemus quietam conscientiam. Unde jure merito Alexander VIII, die 7 Decem. 1690, sequentem damnavit propositionem tertiam in ordine: « Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. » (74. Opinio autem vere probabilis censetur illa quæ gravi suffulta fundamento est consona Sacræ Scripturæ, sensui Ecclesiæ, et Conciliorum, traditioni Sanctorum Patrum, et Doctrinæ Theologorum in Ecclesia communiter auctoritatem sortita. Unde S. Thomas in opuscul. 29, de fallac. cap. 2, sic præcise habet: « Probabilia autem dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus sapientibus, aut omnibus, vel præcipuis, et maxime notis; » et fere consimilibus verbis jam definierat Aristoteles 1, top. cap. 2, ibi: « Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, et his vel omnibus, vel pluribus, vel spectatissimis. » (75. Unus tamen Auctor potest facere opinionem vere probabilem, si plures Classicos Doctores pro ea fideliter citet. Immo potest dari casus, ut opinio unius Doctoris sit vere probabilis, etiamsi quamplures Doctores contrarium teneant, si Auctor ille non sit novitatis amicus, et ita solidas afferat rationes, quæ faciliter aliorum rationes infringant; ratio enim est anima legis. Et de facto in cap. *Nicana Synodus* (1) 12, dist. 31, expresse habetur, quod sententia Paphnutii fuit præposita sententiæ plurimorum in eodem Concilio prætendentium statuere, ne Clerici in Sacris constituti dormirent cum suis uxoribus ante eorum consecrationem legitime ductis, ibi: « Synodusque laudavit Sententiam ejus, et nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate permisit. » Et i. pen. C. de veteri jure enucleando, sic præcise habetur: « Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, et æquius est, iudicatore, cum possit unius forsant sententia multos, et majores aliqua in parte superare. » (76. Unus autem Auctor, qui non habeat nec afferat rationes intrinsecas ita firmas, ut aliorum rationes ab ipsis infringantur, non potest facere opinionem vere probabilem. Unde merito Alexander VII. die 24 Septemb.

in Pastoralibus Instructionibus, nullum non movisse lapidem, ut Probabilismum a suis respective Diocesisibus eliminaret: Regularium denique Ordines suis in Comitibus, editis Decretis, Probabilismum repudiasset, adeo ut nullus fere hodie alicujus nominis Theologus reperitur, qui Probabilismum ut noxam morum regulam rejiciendum haud arbitretur. Qua de re consul. opus vere aureum P. Joan. Vinc. Patuzzi Ord. Prædic. cui titulus *Trattato della Regola prossima delle azioni umane nella scelta opinione ec. Venet. editum anno 1758. (Nota ex Edit. Rom. 1667.)*

(1) Caput *Nicana Synodus* ut recte animadvertit

1665, damnavit sequentem propositionem 27 in ordine: « Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censerit probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. » (77. Talis enim opinio esset solum leviter, et tenuiter probabilis, et ad summum dubiæ probabilitatis, unde non liceret ei prudenter adhærerere; Innocentius enim XI, die 2 Martii 1679, damnavit sequentem propositionem 3 in ordine: « Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. »

(78. Resolves secundo. Potest homo licite sequi opinionem vere quidem, sed minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori, et tutiori, quando tamen agitur de solahonestate actionis, an licita sit, vel non? *Est jam fere communis* (2) eamque docent innumeri Doctores tam recentes, quam antiqui, quos omnes adducere nimis esset oblongum, et operosum. (79. Veritas hujus conclusionis ostenditur in primis auctoritate Sacrorum Canonum, et Pontificum; nam c. *Ego solis* 3. dist. 9. de mente S. Augustini epist. 8. ad S. Hieronymum expresse dicitur, rationes probabiles sufficere ad regulandum judicium prudens; cap. *Sicut quædam* 2. dist. 14. de mente S. Leonis Papæ sic præcise dicitur: « In his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniat adversum; » ex quo textu hanc Sententiam probat S. Antonin. apud Esp. in app. num. 159. Plures Summos Pontifices processisse secundum opinionem sibi visam minus probabilem ostendit Cardenas in 1. Crisi d. 13. cap. 2. num. 7. (80. Et dispensasse in voto solemnium Castitatis contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui 2. 2. q. 88. Art. 1. negat id licere, refert Del Bene part. 2. de Inquisit. d. 2. 236. sect. 65. p. 12. Vid. supra num. 44. cum sequentibus. Et Adrianum VI. propter unius Cajetani auctoritatem contra propriam opinionem dispensasse in Matrimonio rato, refert Domin. Sot. in 4. dist. 27. quæst. 1. Art. 4.

(81. Probatur etiam ratione. Qui operatur secundum opinionem vere probabilem, ille prudenter operatur, sed qui prudenter operatur licite agit, et non peccat, ergo etc. Minor patet; probatur major: qui operatur secundum rationem firmam et gravem, ille

Berardus in Opere, cui titulus *Gratiani Canones*, etc. Part. tertia. cap. 23, tom. 4, pag. 457, ex lib. 2, cap. 14. Historiæ Tripartitæ Cassiodori in distinctionem XXXI. Gratianus transtulit. Cassiodorus autem narrationem illam de Paphnutio ex historia Socratis lib. 1, cap. 2, et Sozomeni lib. 1, Cap. 23, juxta Valesii editionem accepit: quæ narratio a doctissimis viris ad aniles fabulas gravissimis rationum momentis emandatur. Vide Cl. Franciscum Antonium Zaccariam. *Histor. Polem. Cælibat.* lib. 1, cap. 5, pag. 90, seq. (Edit. Barbiell.)

(2) Postilla Edit. Rom. Id est inter Probabilistas. Vide notam num. 75 appositam.



prudenter operatur, quia agit conformiter rationi rectæ; sed qui operatur secundum opinionem vere probabilem, ille operatur secundum rationem firmam, et gravem, ergo, etc., adeoque cum liceat prudenter operari, licitum est sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam (dummodo sit vere probabilis, et tuta, ut supponit conclusio) relicta probabiliori, et tutiori, quando agitur de sola honestate actionis: (82. Tum quia qui operatur secundum opinionem vere probabilem, habet conscientiam practice certam quod licite operatur: ultra enim actum opinativum directum explicite, aut virtualiter habet actum reflexum, quo certe iudicat se licite operari, dum hic, et nunc operatur secundum opinionem vere probabilem, et tutam: Opinio enim minus probabilis, et minus tuta est, et manet vere probabilis, et vere tuta, non obstante quoad alia opinio opposita sit, vel appareat, probabilior, ac tutior, quia major illa probabilitas, et securitas oppositæ sententiæ non destruit probabilitatem, et securitatem quamvis minorem alterius opinionis, quin maneat vere probabilis, et veretuta: sicuti major bonitas unius actus, Virginitas v. g. non destruit minorem bonitatem alterius actus Conjugalis, quin sit, et maneat vere bonus, et tuto amplectendus; quia opinio certe probabilis non amittit suam probabilitatem per aliam probabilem, sed solum per aliam certam, quoniam probabilitas tali certitudini, aut falsitati opponitur, et major probabilitas non excludit falsitatem, immo ex communi Aristotelis axiomate: *Multa falsa sunt probabiliora veris.*

(83. Resolves tertie. Non potest homo licite sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam relicta probabiliori, et tutiori, quando agitur de materia facti, et exinde sequitur certum periculum inferendi damnum proximo. *Est communis.* Et ratio est quia nemo potest extra casum necessitatis tuto, ac licite sese exponere gravi periculo inferendi damnum notabile proximo; sed qui in materia facti sequitur opinionem minus probabilem, et minus tutam relicta probabiliori, ac tutiori, exponit se periculo inferendi grave damnum proximo, et quidem extra casum necessitatis, cum juxta hypothesein tali periculo facile possit occurrere, sequendo opinionem probabilem, et tutiorem: ergo in materia facti cum periculo inferendi grave damnum proximo non licet sequi opinionem minus probabilem, et minus tutam, relicta probabiliori, et tutiori. Major patet ex præcepto Charitatis de diligendo proximo sicut se ipsum. Minor probatur inductione. (84. Si enim Sacerdos in administratione Sacramentorum adhibens materiam, vel formam dubiam, minusque probabilem et minus tutam, cum possit adhibere certam, aut tutiorem, exponeret sine ulla prorsus necessitate non solum periculo invaliditatis ipsum Sacramentum, sed etiam recipientem periculo non habendi fructum Sacramenti, cum dispendio æternæ salutis, si forte sua sententia minus probabilis a

parte rei esset falsa, unde talis Sacerdos graviter peccaret, cum jure merito Innocent. XI. die 2. Martii 1679. damnaverit sequentem propositionem 1. in ordine: « Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni. » Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. (85. Similiter Judex sententians ad favorem partis minus probabile jus habentis, exponeret se periculo inferendi grave damnum parti probabilius jus habenti, et sic peccaret, cum idem Innocentius XI. die qua super damnaverit sequentem propositionem 2. in ordine: « Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

(86. Hinc Judex in suis sententiis tenetur sequi opinionem probabilem, quia censetur institutus a Republica, ut unicuique juxta merita causæ omni meliori modo quo potest, jus suum tribuat ne sit acceptator personarum. Unde cum pars suffulta opinione probabiliori in iure majora habeat merita, et majus jus in causa, stat quod Judex juxta ea majora merita, et ipsum majus jus decidere debeat, ut expresse deducitur ex mox citata propositione damnata ab Innoc. XI. (87. Immo neque quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex adjudicare causam cui maluerit; et si munera accipiat, ut ad unius partis potius favorem sententiam pronunciet, peccat mortaliter, et ad restitutionem tenetur; ut clare deducitur ex sequenti propositione 26. inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Sept. 1665. « Quando litigantes habeant pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præalio. » (88. In tali enim casu, quando re mature examinata, et accurate discussa, non apparet quænam pars potiori, et probabiliori sit suffulta ratione, et pro utraque parte remanent æque probabiles opiniones, debet Judex, vel compositionem inter partes suadere, vel rem controversam inter litigantes ex æquo dividere in re, vel in pretio, ut docet communior cum Sanchez lib. 1. in Dec. c. 9. n. 47. Layman lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 16. Spor. t. 1. tract. 1. c. 1. sect. 3. n. 61. Bardi, Tamburinus et alii passim. (89. Excipiendum tamen est semper, nisi forte alter litigantium esset in possessione bonæ fidei, quia possessio pro possidente facit rationes præponderare taliter quod non amplius maneat rationes utrinque æque probabiles, sed melior evadat conditio possidentis, juxta commune axioma, *melior est conditio possidentis* adductum, et explicatum supr. sub n. 48. cum seq. (90. Excipiendum est etiam, nisi alter litigantium sit reus, quia ipsi etiam contra actorem favet possessio juxta reg. 154. ff. de Regul. Juris, ibi: « Cum par delictum est quorum, semper oneratur petitor, et melior habetur possessoris causa; » et Reg. 11. Juris in 6. ibi: « Cum sunt partium jura obscura, reo

favendum est potius quam actori. » Vid. supra n. 51. (91. Excipiendum est denique nisi agatur de causis piis, et privilegiatis, quales sunt causæ fidei, Religionem, et salutem animæ concernentes, causæ pro Matrimonio, Dote, libertate, Pupillo, pro quibus judicandum est, cæteris paribus, etiam contra reos, quia jus positivum ita disponit; l. *Sunt personæ*, ff. de Religios. et sumpt. fun. et c. Duobus Judicibus 26. de sententia, et re iudicat.

(92. Similiter Medicus et Chirurgus nedum tenentur sub mortali sequi sententias certas et securas, relictis incertis, et dubiis; sed etiam certa curatione infirmorum non occurrente, tenentur sequi opiniones probabiles, relictis minus probabilibus. *Sic certa, et communis Doctorum.* Et ratio est, quia ultra obligationem generalem Charitatis, qua omnes tenentur meliori, et efficaciori modo, quo possunt, auxilium ferre proximo graviter indigenti; adest in Medicis et Chirurgis ad hoc etiam specialis obligatio justitiæ respectu infirmorum; infirmi enim vel læsi censentur factum saltem implicite, et virtuale iniisse cum Medicis, vel Chirurgis, de adhibendis remediis securis, et probabilius salutem intentam operantibus, adeoque Medici et Chirurgi peccant contra pactum, et sic contra justitiam, si relictis remediis probabilioribus, et securioribus, adhibeant remedia minus secunda, et minus probabilia, vel periculosa, cum sic periculose agatur de salute corporali infirmorum. (93. Per accidens tamen poterunt Medici et Chirurgi adhibere remedia minus tuta et minus probabilia, si infirmi, vel læsi non possint aut nolint solvere pretiosa remedia. (94. Sic etiam si quidam infirmus, vel læsus extreme laboret, ut certum, vel verisimillimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio adjuvetur, et nihil aliud occurrat, poterunt Medici, vel Chirurgi adhibere quodcumque remedium, quamvis minus securum, vel dubium, dummodo certe non constet esse mortiferum, et probabilitas juvandi superet periculum nocendi, et habeatur consensus ipsius infirmi, vel suorum consanguineorum, quia in tali casu, cum ex una parte vita infirmi jam sit desperata, et ex altera parte adsit aliqua spes, vel probabilitas remedii, prudenter, et sine ulla offensa agunt Medici vel Chirurgi adhibendo remedia minus tuta, dubia et periculosa. *Sic communis.* (95. Non licet autem Medicis et Chirurgis experiri in desperatis, an medicamenta sint utilia, vel noxia, quia sic subitur manifestum periculum mortis accelerandæ. *Ita etiam communis.*

(96. Sic etiam Consilarii in dandis consiliis, ubi adest periculum, ne proximo fiat damnum, aut injuria, tenentur sequi sententias certas, vel probabiles. Ita ex communiori Vasquez opuscul. de restitut. cap. 6. § 3. Bardi discept. 4. cap. 22. Sporer tom. 1. cap. 1. n. 62. et alii. Et ratio est; quia Consilarii in consiliis publicis, v. g. de necessitatibus Principis, dum consultatur de tributo aliquo imponendo, an adsint iustæ causæ, nec ne? habent se tamquam

Judices inter Principem, et subditos uti partes litigantes, ut consultivum judicium ferant, a quo pendet resolutio Principis imponendo vel non, tale tributum, adeoque sicut Judices inter partes litigantes ita et Consilarii inter Principem, et subditos tenentur sequi sententiam certam, seu probabiliorem, in favorem scilicet illius, pro qua stat opinio probabilior, et ut recte dicunt Navarr. Adrian. Sporer, et alii, mortaliter peccant contra justitiam, si ex affectu vel respectu humano semper exquirant sententias faventes placito, et commodis Principis, vel sui principalis, et juxta sententiam minus probabilem consultant in favorem ipsius cum periculo inferendi grave damnum proximo. (97. In dandis autem consiliis, ubi non adest periculum inferendi damnum proximo, possunt Consilarii sequi sententias minus probabiles, dummodo sint vere probabiles. (98. Immo in similibus casibus possunt Consilarii significare consulentibus talem opinionem a quibusdam Doctoribus tamquam probabilem defendi, quam proinde ipsis consulentibus sequi liceat, quamvis ipsi Consilarii eadem speculative falsam esse judicent, et proinde praxi ipsi sequi non audeant. Et ratio est, quia ipsi consulentes habent jus sequendi opinionem probabilem, et hoc jus suum illi indicare non prohibentur Consilarii; Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 9. Bonac. tract. 2. d. 2. q. 4. p. 9. n. 8. Busemb. lib. 1. c. 2. dub. 2. et alii. (99. Sic Advocati in patrocinandis causis non tenentur sequi opinionem probabilem, sed possunt licite sequi opinionem vere probabilem, id est non possunt suscipere defendendam causam minus probabilem, sed vere probabilem, licet causa adversaria judicetur ab ipsis probabilior. Ita fere communiter Doctores vid. verb. *Advocat.* per tot. et præcipue art. 2. in fine.

(100. Resolves quarto, licitum esse sequi opinionem alienam vere probabilem, et vere tutam, etiam contra propriam opinionem probabilem, et tutiorem visam; immo etiam quandoque eam sequi debere. Sic tenent Azor, Vasquez, Layman, Less., Valent., Salas., Bonac., Sol., Bann., Serran., Bardi., Tanner., Sanchez, Terill., in Reg. q. 22, q. 35, a n. 12, q. 46, n. 6. Sporer, tom. 1. tract. 1. c. 1, n. 44. aliique plurimi, et gravissimi Auctores cum Illsung. tom. 1. d. 1, art. 6, § 5, et Mendo in Stat. d. 13, q. 15. (101. Et ratio primæ partis est, quia in moralibus actionibus necesse non est sequi quod melius, et tutius, sed sufficit sequi bonum ac tutum; sed id quod docet opinio vere probabilis, licet aliena, et contra propriam opinionem probabilem, et tutiorem visam, est vere bonum, ac tutum; ergo licitum est eam sequi, et secundum illam operari; per hoc enim quod quis suam opinionem judicet esse probabilem, ac tutiorem ex principiis intrinsicis, et rationibus, quæ ipsi apparent insolubiles, adhuc stat quod oppositam sententiam aliorum Auctorum extrinsece saltem censeat vere probabilem practice, et tuto sequendam in praxi, suasque